

XXIV

AD VERGILIVM

Asclepiadeo-Glyconicus

Quis dēsideriō sit pudor aut modus
Tam cārī capitis ? Praecipe lūgubrēs
Cantūs, Melpomenē, cui liquidam pater
Vōcem cum citharā dedit.

Ergō Quīntilium perpetuus sopor
Vrget ! Cui Pudor et Iūstītiaē soror
Incorrupta Fidēs, nūdaque Vēritās
Quandō ūllum inveniet parem ?

Multīs ille bonīs flēbilis occidit,
Nūllī flēbilior quam tibi, Vergilī.
Tū frūstrā pius, heu ! nōn ita crēditum
Pocis Quīntilium deōs.

Quid, sī Thrēiciō blandius Orpheō
Audītam moderēre arboribus fidem ?
Num vānae redeat sanguis imāginī,
Quam virgā semel horridā,

Nōn lēnis precibus fāta reclūdere,
Nigrō compulerit Mercurius gregī ?
Dūrum ! Sed levius fit patientiā
Quicquid corrigere est nefās.